



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An sit originale peccatum, in quo omnes peccauerunt. I

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

hoc Apostolus. Si uen. intelligatur, in quo homine, siue in quo peccato, sanum est. In Adam n. omnes peccauerunt, ut in materia, non solum eius exemplo, ut dicunt Pelagiani. Omnes n. ille vnus homo fuerat, id est, in eo materialiter erant. Manifestum est itaque, omnes in Adam peccasse, quasi in massa. Ipse n. per peccatum corruptus, quos genuit, omnes illi sunt sub peccato. Ex eo igitur sicut cuncti constituti sunt peccatores, ita & in illo vno peccato, quod intrauit in mundum, recte omnes dicuntur peccasse. quia sicut ab illo vno homine, sic ab eodem vno peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum absoluantur. Alia ergo sunt propria peccata in quibus tantum peccant quorum peccata sunt. Aliud hoc vnum in quo omnes peccauerunt, i. ex quo omnes peccatores constituti sunt.

Quid sit peccatum in quo omnes peccauerunt, scilicet, originale, quod ex inobedientia processit. I

Hoc est originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti: quod ex Adam, siue ex eius inobedientia emanauit, & in posteros demigravit. unde Apostolus consequenter, per inobedientiam vnus hominis, multos dicit constitutos esse peccatores: quæ est actuale peccatum. Cum autem dixerit per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & in eo omnes peccasse, de originali dictum esse oportet accipi.

Ex quo sensu dictum est, Per inobedientiam vnus, multi sunt constituti peccatores. K

Quod ergo ait, Per inobedientiam vnus multi constituti sunt peccatores: eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, scilicet, ex peccato actuali Adæ, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur: ut & in illo esset, & in omnes transiret.